Q. D. B. V!

Lemmata Antiqvitatum Francicarum,

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

HISTORIARVM PROF. PVBL.

Disputanda proponet

M. PETRVS CHRISTOPHORVS SCHEIBLERVS,

ex Montibus Lennepensis

AD DIEM XXVII. SEPTEMBR. ANNO M. DC. LXXIX.

In Auditorio Maiori.

CVM PRIVILEGIO EL. SAXON.

Disputatio V.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIↃ IↃc XCIIX.



I.

OMnes, qvotqvot de Francorum originibus tradunt, fateri necesse habent, eos primum trans Rhenum consedisse, atqve ab his finibus egressos, regnum cis Rhenum auspicio ductuqve Pharamundi condidisse. Idcirco Prosper horum temporum scriptor verax, et sine dubitatione admittendus, *Faramundus*, inqvit, *regnat in Francia*, *apud Scaligerum in thes. temp. p. 51. Consentit Prosper Pithoeanus auctior castigatiorqve.*

II. Contra eos constitutus est dux transrhenani limitis, de qvo est apud *Trebellium Pollionem in Postumio II.* Haud dubie vero ea fuit occasio *Marchiarum*, qvae limitum praefecturae erant, in Germania deinceps coeptarum.

III. Qvo Rheni limite postea non recte defenso, ac saepe etiam imprudenter neglecto, Franci in Gallias impressionem fecerunt, et incursionibus Romanos tantisper fatigarunt, dum *Ripuaria*, qvae ad Cisrhenanam II. pertinet, annuente Honorio, ipsis habitanda traderetur, qvam deinde ereptam Aetius Romanorum ditioni rursus subiecit. *Prosper Vulgaris in Chron. ad an. 428.*

IV. Qvi etsi trans Rhenum suos qvoqve reges habuerunt, primus tamen cis Rhenum regnavit Pharamundus, qvod auctore Gregorio Turonense colligo *l. 2. hist. c. 9.* Is autem historiam suam perduxit ad annum Ch. DXCV. qvod constat argumento *characterum*, qvos in extremo libri X. ille ipse scriptor nobis suppeditavit.

V. Duo autem hic se offerunt in qvibus omne huius rei momentum positum est: alterum affert migratio Franco-

corum, alterum praebet deſcriptio illius loci, in qvo Rex creatus eſt Pharamundus. Migratio innuitur verbis, *Tongriam transmeaſſe*, id eſt, moviſſe in Germaniam Cisrhenanam, ubi iacet Tongria, qvam ſine ratione in Toringia trans Rhenum qvaeras. Deſcriptio continetur ſeqventibus, *iuxta pagos vel civitates.* Pagi autem civitatesqve ſub illud tempus non alibi, qvam in Germania Gisrhenana extabant, propterea qvod ea ſola tunc in pagos civitatesqve deſcripta erat, et ſola etiam iure Romano regebatur. Cetera Germania, qvae trans Rhenum eſt, ſub id tempus inculta prorſus barbaraqve fuit, adeo ut ne Germaniae qvidem nomine a Romanis appellaretur. Proinde Toringiae, trans Rhenum qvippe ſitae, non congruunt, qvae tradit adducto loco Turonenſis, ac nullo adeo negotio iſtud mendum, qvod in Epitome Francorum atqve Aimoino occurrit, veriori lectionis argumento corrigi poteſt.

VI. Sicut vero tempora ad imperiorum viciſſitudines permultum poſſunt, ita diſpar regum Francorum poteſtas, neqve una et eadem regni illius amplitudo ſplendorqve fuit. Eqvidem tempore Pharamundi Proceres dignitatem ſuam ita munitam atqve ſeptam tenuerunt, ut reges auctoritate prope aeqvarent. Significanter Ado Viennenſes in Chronico ait. *Primum* (Cisrhenanum) *regem Pharamundum ſibi poſtmodum ſtatuunt* (pacto poteſtatem conferunt) *legibusqve* (Saliqvis) *ſe ſubdunt. Legibus* inqvit, ut oſtendat reges legibus fuiſſe alligatos, qvi non arbitratu ſuo, ſed ex earum praeſcripto cognoſcant, ſtatuant, iudicent. Qvam in ſententiam legi poſſunt *LL. Saliqvae t.41.57.59.* qvibus regum poteſtas ſuis qvaſi cancellis eſt circumſcripta.

VII. Regum qvoqve ſucceſſio Procerum iudicio pondus habuit, populiqve aſſenſus valuit, adeo ut Pharamundo vita functo, Clodium eius filium ſolenni ritu regem crearint. *Vid. epitome geſtor. Franc. c. 5. Ado Viennenſis in Chro-*

Chronic. aetat. 6. p. 149. *Aimoinus* eum successisse tradit, successionem iudicio eligentium temperatam innuens, *lib. 1. c. 4. de gest. Franc.* Omnino autem Merovaei posteri ius successione sibi confirmarunt, plenioremqve potestatem habuerunt. Agathias ex versione Christophori Persônae Romani haec tradit. *Franci qvum optimum degant vitae genus, se ipsos imprimis et proximos qvosqve pervincunt, et ex parentibus filii regna suscipiunt.* Vnde liqvet ratio succedendi, qvae ius primi acqvirentis transmittit ad liberos posterosqve sexu habiles, ab eo tanqvam stipite descendentes.

VIII. Eadem successionis causa apud Carolingos fuit, qvando eorum filiis regna obvenerunt, testamentaqve de his facta, non ad commendationem, sed ad successionis, qvae ius primi regis retinet, veritatem valuerunt. Id vero tunc Optimatum honori datum est, ut supremas tabulas assensu suo comprobarent. *Annal. Franc. ad A. 806.*

IX. Inter primae stirpis reges, Francorum famam gloriamqve maxime auxit Clodovaeus, victisqve apud Tolpiacum Alemannis, religionis Christianae studio pariter et belli successibus se nobilitavit, et finitimas regiones vel vectigales sibi fecit, vel in provinciam redegit, nec nisi unus Italiae rex Theodoricus his invidiosis rerum progressibus expergefactus est, reliqvis tam secure dormitantibus, ut nulla esset tam magna monitionum vis, nullaqve tam efficax propositi metus ratio, qva sopiti suscitarentur. Graves et lectu dignae supersunt eius epistolae, qvibus Gundebaldum et Hermanfridum Burgundiae et Toringiae reges ad suscipiendam eius rei curam adhortatur, *apud Cassiodorum Var. lib. 3. ep. 2. 3.*

X. Sed hi reges sive illecebris capti et irretiti, sive qvodam fatali somno oppressi, instantium rationes non inibant, qvo fiebat, ut bello, qvod communibus viribus geri oportuit, impares fierent, periculumqve culpa sua maximum

adiret. Mox enim ſenſit Gundebaldus connubio Chrotildis ex fratre neptis, cauſam belli a Clodovaeo qvaeſitam, qvod eventus docuit, planeqve approbavit *V. Epitome Francorum c. 12. 16. Turonenſis l. 2. c. 28. 32.* Vnde plus ſatis intelligi poteſt, Clodovaeum per neceſſitudines evertendi Burgundionum regni occaſionem captaſſe, nec ſpe deceptum Gundebaldo poſtea victo, tributi pendendi conditionem tuliſſe, filioqve eius Sigismundo Burgundiam Ciſararicam extorſiſſe, reliqvam vero ex temporum opportunitate filiis occupandam reliqviſſe *Vid. Turonenſis l. 3. cap. 5. et 6. Pontus Heuterus rerum Burgund. lib. 1.* Hunc tamen cum in temporum rationibus ſaepe deſerimus, tum illud probare non poſſumus, qvod affirmat, Chrotildem pro Sigismundo Gundebaldi filio deprecatam, ut in regni, qvo carebat, poſſeſſionem reſtitueretur. Etenim haec femina, qvemadmodum ob Chriſti ſacra in Franciam allata vehementer laudari debet, ita nimio ulciſcendi ſtudio certe aliqvid humani paſſa, maritum primo, et deinceps filios ad bellum Burgundionum regibus inferendum concitavit. *V. Fredegarius Scholaſticus cap. 19. et 34. Turonenſis l. 3. c. 6.* Simul hic notamus Adonem Viennenſem, qvi conturbatis temporum rationibus pleraqve de Francis Burgundionibusqve tradit, qvae ex Proſpero Scriptore multo antiqviore licet emendare. Per Sicambriam autem, cuius ibidem meminit, non Troianorum illa, ut Turonenſis fabulatur, ſed transrhenana Teutonum, omni iure eſt intelligenda. Qvae fuit cauſa Remigio, cur Clodovaeum vocaret Sicambrum, cum eum ſacro fonte tingeret, Chriſtoqve initiaret, *in epitom. Francor. cap. 15. et Turonenſ. l. 2. cap. 31.* Neqve continuo exiſtimandum eſt, rerum origines exinde eſſe petendas, qvod uno nomine appellantur, in qvo genere Paulus Diaconus aliqvanto cautius verſatus eſt, qvum de Anſegiſo Francorum praefecto ita tradidit, ut facile qveat intelligi, eum non ab Anchiſe Troianorum fuiſſe ori-

oriundum, etsi ab eo appellatum fuisse, non tam sua, qvam aliorum opinione refert, *lib. 6. de gestis Langob. cap. 23.* Is vero vixit etiam inter Francos, Caroloqve a Francis Austrasiis orto et huius nominis magno, aliqvandiu familiariter usus est, et res originesqve Francorum circumspectius expendit. Ac multo ante Procopius eos sine adiectione Germanos appellare consvevit, qvos alibi suo nomine, et proprio vocabulo Francos appellavit, tamqve plane et dilucide hanc materiam explicavit, ut ad investigandas huius antiqvitatis rationes nullis certe commentis in posterum egeamus. *Οἱ δὲ Φράγγοι οὗτοι*, inqvit, *γερμανοὶ μὲν τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο.* Et ibidem aliqvibus interiectis ait. *Λίμναι τε ἐνταῦθα, οὗ δὴ γερμανοὶ τὸ παλαιὸν ᾤκηντο βάρβαρον ἔθνος, οὐ πολλοῦ λόγου τὸ κατ' ἀρχὰς ἄξιον, οἱ νῦν Φράγγοι καλοῦνται. Γοτθικῶν α.* Qvae cum idonea ad hanc causam, tum ita manifesta et aperta sunt, ut qvi haec non intelligat, a literarum elegantia alienor sit, qvi autem, cum intellexerit, negare pertendat, rixosus et pertinax, prorsusqve illiberalis habeatur.

XI. Amplius id probo, qvoniam non multo post commemorat Procopius, Germanos cum Burgundionibus manus conseruisse. Cuius autem gentis Germani isti fuerint, ipse explicat, luculenterqve designat. Opportuna hic et consentiens Cassiodori narratio est *l. 8. Var. ep. 10.* Sub id tempus vero Burgundionum rex fuit Gundebaldus, socius adiutorqve antea Clodovaei contra Wisigothos, ut innuit *Isidorus Hispalensis Chron. Goth. ERA DXLV.*

XII. Regnum illud VVisigothicum in Gallia Narbonensi conditum octoginta octo annis stetit, postqvam a Clodovaeo eversum est, qvod abunde confirmat Hispalensis. Duo autem hic se offerunt *characteres*, qvorum alter ex rationibus temporum sumitur, qvem ERA Hispanica apud Isidorum designat: alter ad regionum, qvas Geographia docet, descriptionem pertinet, ut fines Gothiae Narbonensis intelligan-

ligantur. Dabo Sigebertum Gemblacensem, qvi Burgundiam Gothiamqve tanqvam regiones Galliae coniungit, qvatenus ea qvidem Galliae Narbonensis ambitu continebatur, *ad an.* 1109. Ac Gothiae huius Gallicae praecipua urbs, regniqve sedes fuit Tolosa, urbs antiqva, et collectis tunc Gothorum opibus clara, unde regnum qvoqve istud appellatum est Tolosanum. Iamqve suo aevo scripsit Ammianus Marcellinus. *In Narbonensi* (Gallia) *clusa* (inclusa) *est Narbona et Tolosa, qvae principatum urbium tenent. lib. XV.* Isidorus Hispalensis subministrat annum destructi Tolosani regni, qvem signavit ERA DXXII: qvo tempore in Gothia Narbonensi regnabat Alaricus, a Germanis (*Francis*) in congressu victus, ut scribit Procopius Goth. I. Francorum *epitomastes* praelium Vocladense ad interitum Alarici fatale nominavit, *c. 17. Turonensis lib. 2. c. 37.* Ad postremum *character* iuris publici est in Marchionibus Gothiae, de qvibus multa dicere non fert ratio huius instituti.

XIII. Inter causas belli Alarico inferendi religio inprimis fuit, qvod Clodovaei exemplum tamen est eiusmodi, ut nostro assensu probari non possit, qvandoqvidem religio non dat ius inferendi, sed defendendi belli, sive, ut loqvuntur in Scholis, ius belli *defensivi.* Contra et sensit et dixit Clodovaeus. *Valde moleste fero, qvod hi Arriani* (Gothi) *partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, et superatis redigamus terram in ditionem nostram, apud Turonensem praedicto loco.* Vtcunqve autem speciosus hic praetextus fuit, nec Remigio, ut ex epistolis ad Clodovaeum scriptis colligo, displicuit, Proceribusqve pariter et populo Francorum probatus est, exemploqve deinceps nocuit, et Carolum M. insuper hoc pietatis simulacrum decepit: tamen hic belli titulus non fuit iustus, propterea qvod VVisigothi aeqve in Gallia advenae erant ac Franci, eodem acqvirendi et possidendi titulo nitebantur, nec alteris in alteros ius erat, qvoniam

niam Romani, qvorum antehac Gallia fuerat, utrisqve portiones occupatas reliqverant, et bello pactionibusqve iure suo cesserant. Alioqvi religio omnino ad defensionem valet, et ratio tuendae libertatis postulat, ut propugnatio, vel vitae fortunarumqve omnium discrimine, pro ea suscipiatur. Si enim pro libertate arma sumere divinum humanumqve ius concedit, multo magis concedit pro ea libertate, qva nulla in rebus humanis sanctior potiorqve est, ut certe illa ipsa aestimatur, qva cum Deo coniungimur, qvae libertas *Conscientiae* vocatur. Loqvimur autem de iis, qvi in tali statu sunt, in qvo ius armorum, saltem defensionis causa, lege aut pacto civibus conceditur. Itaqve extra hanc qvaestionem sunt, qvi ita ditioni imperantis subiecti sunt, ut nullam eiusmodi libertatem pacto, aut qvavis alia honesta ratione sibi reservarint, sineqve exceptione privilegiorum ad parendum sese obligarint. Etenim his rebus fit, ut non sit in statu, veluti vulgo dicunt, *moraliter* habili ad sumenda arma, qvatenus id qvod naturaliter conceditur, in statu *legali*, velut obiecto obice, mutatur atqve impeditur. Huius autem conditionis homines, qvum non in resistendo, certe in emigrando praesidium habent, qvi priscis temporibus, qvibus Tyranni vexabant ecclesias, crudeliterqve vastabant, aut latebant prudenter, aut summa cum ratione fugiebant.

XIV. Hoc autem eo a me susceptum est, ut ostendam militiae sacrae scriptores ad hanc regulam esse dirigendos, qvi cum religionis causam et *sepulchri sacri liberationem*, bello in Palaestinam suscepto praeferunt, tum prope a barbaris belli titulo et diuturna possessione se tuentibus, irrisi fuerunt. Hinc *Curbaram* unus ex Sultani praefectis Petro Eremitae et Herluino Palaestinam Christianis reddendam flagitantibus respondit, se suamqve gentem Deum

pariter Christianorum et Ghristianos aversari: mirari autem, cur Christiani terram, qvam effeminatis gentibus abstulissent, suam nominent, reposcereqve ausint. *V. Gesta Francor p. 20. Nihilo meliores sunt Vrbani Pont. rationes, ibidem a principio: Conf. Concilium Claraemontanum, A. 1095. habitum, et Matthaeus Paris in VVilhelmo II. Conf. Helmondus Chr. Slav. lib. 1. cap. 31. Novissime de militia sacra scripsit Ioannes Molanus, eiusqve initium a Clodovaeo duxit. Pudendo autem postea exemplo Gaspar Scioppius inde occasionem sumsit scribendi classicum belli sacri, odio, ut dicere consvevit, erga Reformatos, sed revera non aeqviori animo in Protestantes, qvi ex praescripto Aug. Confess. emendata sacra integra, nec mutata retinuerunt.*

XV. Bella Clodovaei, qvibus potentiam firmavit, breviter attingit Gervasius Tiberiensis *de regno Francorum et eius ortu p. 53.* et pleraqve ac insigniora omisit, qvem nullo negotio, ex scriptoribus Francorum suppleamus. Ego ea omnia annorum intervallis distincta referam, ac a regno Suessionum ordiar, qvod victo A. 487. Siagrio, in provinciam redegit, et hoc primum fortunae fortitudinisqve auspicium praebuit, *Gest. Franc. Epitom. c. 9. ubi* harum, qvas conficio, rationum haud dubium est fundamentum. *Conf. Turonens. l. 2. c. 27.* Hinc a Svessionibus ad Toringos conversus, regnum id A. 492. vectigale fecit, documento *characteris*, qvi extat *in Epit. Franc. c. 10. et Turon. l. 2. c. 27.* Congruit autem huic instituto, ut verba Turonensis commode explicentur, qvippe qvae nihil, praeterqvam ius tributarium, Clodovaeo in Toringia acqvisitum docent. Serius enim pro ea parte, qva Francis cessit, provincia facta est, *apud eundem lib. 3. cap. 7.* Qvae Toringiae conversio incidit in annum 524. prout qvidem supputat *Sigebertus Gemblacensis in Chron. ad. d. an.* De industria dico, *pro ea parte,*

qva

qua Francis cessit: Pars enim qvoqve in Saxonum ditionem redacta est, ut probant *Eclogae*, qvae ex Eginhardo supersunt apud *Adamum Bremensem, l.1.hist.eccles.cap.4.* Laxe ergo nimis et per exuperationem *Turonensis* scripsit, Clodovaeum, Francorum regem, Thuringos suae ditioni subiecisse. Modus enim interpretandi non potest sibi esse consentiens, nisi qvemadmodum iurisperiti suas leges, ita nos antiqvitatum capita, ponderatis collatisqve diligenti lectione monumentis, temporum eventorumqve rationes accurate ineamus. *Conf. Turon. lib.2.c.27. et lib.3.c.7. Sigebertus ad an.524.*

XVI. Postea ad Alemannos spectabat, qvos arduo ac difficili praelio apud Tulpiacum commisso subegit, qvos priusqvam vinceret, voti religione se obstrinxit, siqvidem Deus, qvem coniux sua profiteretur, hoc beneficium sibi praestaturus esset, ut feroces superbiqve hostes ductu suo vincerentur, *apud Turonens. lib. 2. cap. 30. et Aimoinus lib. 1. cap. 15.* Accidit vero hoc anno post natalem Servatoris qvadringentesimo nonagesimo sexto, qvem et felix armorum successus et religio salutaris insignivit, et deniqve occasionem titulumqve Christianissimi dedit. Multum ad constituendas huius propositi rationes attulit Clothildis, femina, si ulciscendi cupiditatem excipias, recti amans et pia, de qva ita Aimoinus. *Haec fidelis infideli coniuncta viro, cum ad fidem perducere conabatur, lib.1.ep.14.* Nec multo post in praelii discrimine, eius dicta monitionesqve identidem in animo reputabat, *lib. eodem cap. 15.* Cum enim iam pugnans rebus suis plane diffideret, in hanc sententiam locutus fertur. *Christe potentissime Deus, qvem Clotildis coniux mea colit pura mente, trophaeum meae tibi voveo fidei, tribuas si bis ex hostibus triumphum victoriae, apud eundem d.l.* Verbis paulo aliis, sensu eodem enarravit Antistes Turonensis *l.2.cap.30.* Non hic omiserim epistolam Theodorici Ostro-

gothorum Regis, qvam Clodovaeo, qvem unum inter omnes finitimos maxime ſuſpectum formidabilemqve habuit, poſt eam victoriam perſcripſit, apud *Caſſiod. Var. lib. 2. ep. 41.* Fuit autem tunc ſacris initiatus Clodovaeus, argumento *gentilitatis*, qvam Caſſiodorus in exemplum comparationemqve manſvetudinis *Chriſtianae* refert. Conturbatae autem ibi ſunt rationes temporum, cum epiſtola haec in A. 508. reiicitur a Fornetio, Hermanni Contracti auctoritate nixo. Nam anno regni qvintodecimo Clodovaeus pugnavit cum Alemannis, ut teſtis locuples eſt Hincmarus *in vita S. Remigii, Conf. Ado in Chr. p. 161.* Anno autem 481. regnum ſuſcepit, atqve adeo ſecundum accuratas temporum rationes annus 496. reſpondet. Adhaec congruit iſte annus rebus et eventis aliis, qvae tanti momenti ponderisqve ſunt, ut omnino me de ſententia Hermanni Contracti deducant. Haud vero aberraverim, ſi dixero, revixiſſe tunc in Francia Conſtantinum M. qvando in Clodovaei exemplum ceteri Franci intuebantur, et ducem dominumqve auſpicato ſeqvebantur.

XVII. Oppreſſis Alemannis, Burgundionibus bellum intulit, regnumqve hoc fulminis more percurrens, Gundebaldum ad accipiendas vectigalis regni conditiones adegit, ac deinceps filium eius Sigismundum parte Burgundiae, qvae cis Ararim iacet, multavit. *V. Turon. l. 2. cap. 32. Vignier. in Chron. Burg. ad an. 502. 508. et 509.* Alienus hic locus eſt Caſſiodori *Var. lib. XI. in commendatione ſui ipſius*, *qvi* mea opinione lucem accepit *ex lib. 8. ep. 10. et ſcriptore vitae Caeſarii Cypriano.* At poſt Clodovaei deceſſum, filii eius maiore impetu in Burgundiam tendebant, et anno 526. afflictis Burgundionum rebus, priſcum regum familiam delebant, regnumqve in poteſtatem ditionemqve ſuam redigebant, *Vid. Turon. l. 3. cap. 5. et 6.* In qvo regno LL. Gunde-

bal-

baldicae, qvae et Gundebadae dici solent, ad memoriam posteritatis insignes sunt, in qvibus *Romani* appellantur Galli indigenae, qvi Romano iure utebantur: *barbari* autem agri cultores, qvi inter *Romanos*, qvoad Gallia Romanis imperatoribus parebat, impari conditione degebant, postea autem, qvam Franci depulsis Roman. Impp. praesidiis, in Gallia regnabant, meliori loco esse coeperunt, Romanisqve exaeqvati, qvin imo et praelati fuerunt. *Vid. LL. Burgundionum et LL. Saliqvae, speciatim Saliqvae t. XLIII. 1. et 8.* Ex dictis, opinor, explicari potest locus apud Turonensem *lib. 2. cap. 33. Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent.* Pertinentqve huc, qvod scriptum est in *congesto Traditionum Boioar. Praefatus Dux* (Theodo) *tradidit Romanos, et eorum tributales mansos* (Hubas * seqviori aevo appellarunt.)

XVIII. Aqvitaniam, sine qva Clodovaeus regni fines tutari non poterat, anno 507. occupavit, victorqve reversus Turonos adiit, ac inde Lutetiam perrexit, regniqve Francogalliae sedem anno 508. ibi collocavit, qvae continua, qvamlibet diversae stirpis, successorum serie ad haec tempora usqve permansit *V. Turonensis lib. 2. cap. 37. et 38. Ado Viennensis p. 165. et 169. Aimoinus lib. 1. c. 16.*

XIX. Cum tot tantaqve pericula sustinuisset, et superiores etiam difficultates omnes composuisset, pauci, nec magnae potentiae reguli, Agrippinensis et Cameracensis delendi restabant, qvorum alterum per insidias occidendum curavit, alterum armis devictum captumqve, securi in capite eius defixa, interfecit. *Turonensis lib. 2. cap. 42. et 43.*

* De differentiis *Hubarum* vid. Coccius in Dagob. p. 178.

** Hanc postea eripuit Eudo, et vindicavit Carolus Martellus, Bussier. hist. Fr. lib. 3. p. 206. 218. Conf. Iodoc. Sincer. Itin. append. cap. 11.

XX. Iam tota fere Gallia, praeter Arelâtenſem, Masſilienſem, Narbonenſem et Novempopulanam, potiebatur Clodovaeus, qvum per codicillos, ab Anaſtaſio Graeco-Romano imperatore miſſos, COS. et Auguſtus ritu memorabili ac ſolenni eſt renunciatus, *apud Turonenſem l. 2. cap. 38. et apud Adonem Viennenſem in Chron. p. 169.* Qvi conſulatus altius aliqvid excellentiusqve denotavit, qvam is qvidem communiter denotare ſolet. Primo, qvia cum titulo Auguſti, qvi nemini COSS. attributus eſt, coniungitur, *Aimoinus lib. 1. cap. 22.* Deinde, qvia cum utroqve titulo allata ſunt Clodovaeo regni inſignia, *tunica blatea* (purpurea) *chlamis et diadema, Turonenſis d. l. et epiſt. geſt. Franc. c. 17.* Tum qvia Fredegarius eminentiorem dignitatem indicavit, *cap. 110.* Ad poſtremum, qvia eventus comprobavit, *Patriciatu hoc Romano* Francos poſthac viam ſibi muniviſſe, ad patrocinium (*advocatiam*) et ſupremum Romae ac totius Italiae dominium acqvirendum, *V. Ann. Franc. Pithoean. ad an. 801. Monachus Engolismenſis ex recenſione eadem p. 233.* Vbi nomine *patricii character* ſublimioris dignitatis ſignificanter eſt expreſſus, ſiqvidem veram accuratamqve interpretandi rationem inimus.

XXI. Multa praeterea Clodovaei merita in rempublicam Sacram extant, praeſertim qvum bello Gothico defunctus, iam maiorem Galliae partem in ſua poteſtate tenebat. Qvod, ſicut pleriqve tradunt, Remigius, cum de ultimis cogitaret ac diſponeret, praeclare teſtatum fecit, atqve his conceptis verbis plane et luculenter deſcripſit. *Cum duabus villis*, inqvit, *qvas Ludovicus* (Clodovaeus) *a me ſacro baptismatis fonte ſuſceptus, amore nominis mei, Biſcofesheim ſua lingva vocatis, mihi tradidit.* Qvibus duo indicantur, qvorum alterum lingvae Tevtonicae uſus Francorum origines a Tevtonica gente arceſſendas commonſtrat,

alte-

alterum eiusmodi est ut ostendat, Clodovaeum, qvamlibet a vero patefactoqve Deo alienum, beneficia ipsi tribuisse, mansvetudinisqve et liberalitatis exemplum regibus dignum praebuisse. Qvod utrum fecerit Clodovaeus integritate et sanctitate Remigii permotus, an ab uxore Clotilde persvasus, an ad conciliandos per eum indigenarum animos civili instituto adductus, meum non est definire. Mox autem Remigius, interiectis qvibusdam, ipse affirmat, Clodovaeum nullo veri Dei sensu praeditum sibi donasse, *cum adhuc paganus Deum ignoraret, ad proprium tradidisse. V. Testamentum Remigii apud Flodoardum.* Qvod tamen eiusmodi est, ut Remigii temporibus non congruat, et fabula seculi IX. a simplicitate aevi Merovingici discernatur: praeterea a modestia Remigii abhorret, et ritum inaugurationis regiae a Merovingis alienum complectitur, omniqve iure in suspicionem confictae antiqvitatis vocatur. Refert hic nostra, ut conferantur *Turonensis lib. 2. cap. 31. et Aimoinus lib. 1. cap. 16.* Qvare aliud testamentum eruit Ioannes Bollandus, nec multo post emisit Chiffletius, de qvo alibi sententiam dicam.

XXII. Praeterqvam autem qvod religionem prope oppressam in libertatem vindicavit, sacerdotiaqve et sodalitates religiosas beneficiis ornavit, id qvoqve vel inprimis ad gloriam veteris Clodovaei prosapiae spectat, qvod *monasteria,* qvae dicuntur, *exempta,* posteris ipsius originem certe in Francia acceptam ferant. Qvod docent tabulae Clodovaei II. Clotharii III. qvibus haec talia *exemptionis* privilegia perliberaliter sunt concessa, qvorum multa ex tenebris eruit Hieronymus Bignonius, Vir, cum viveret, inter omnes populares facile doctissimus. * Dicuntur autem *exempta,* qvod

* *Usu veterum Francorum huiusmodi privilegium dici solitum est* praeceptum immunitatis *V. Aimoinus lib. 3. cap. 2.*

qvod Pontifici, nullo interiecto, obnoxia ſint, de qvibus copioſe diſſeruit *Bernhardus Abbas Clarevallenſis* in eruditis et pietatis pariter prudentiaeqve cauſa legendis libris *de conſideratione ad Eugenium Pontificem.* Cum autem mihi in mentem venit, qvamobrem pleraqve monaſteria iuri et poteſtati Epiſcoporum ſubtracta fuerint, tum recordor, duo fuiſſe cumprimis, qvae tali inſtituto cauſam occaſionemqve darent. Primo enim pars religionis ultimorum regum erat, ut fana aedificarent, monaſteriaqve cumularent, rati, ſi qvidvis admiſiſſent, hoc modo expiatum iri. Documento ſit Sigismundus Burgundionum rex non Arrianus, qvi cum filii ſangvine manus imbuiſſet, pro ſuperſtitione illorum temporum noxae iſti expiandae ſuffecturum putabat, ſi Divis Agaunenſibus extructum ab ſe monaſterium dicaret. vid. *Turonenſ. lib. 3. cap. 5. et Aimoinus lib. 2. cap. 4.* Ex eadem cauſa tot *donationum*, *dotationum traditionumqve* formulae et inſtrumenta paſſim, maxime in Francorum monumentis extant. * Deinde fanorum conditores id dabant amori memoriaeqve locorum, qvae religioſis ſodalitatibus deſignata ſunt, ut monaſteriis ibi ab ſe inſtitutis privilegium libertatis ab Romano Pontifice impertiretur. Docent hoc tabulae *exemptionum*, qvae petentibus regibus, tanqvam *monaſteriorum fundatoribus* privilegium hoc datum conceſſumve teſtantur. Superiori ſeculo in Concilio Rothomagenſi ſtatutum decretumqve eſt, ut monaſteria hoc privilegio nixa, non tenerentur intereſſe conciliis, niſi ad illuc veniendum iure conſvetudineqve obligarentur, prout Gregorius XIII. qvi tunc Romanae ſedi praefuit, dubitantibus ſuper ea re Patribus reſpondit. *V. acta huius Concilii 1581. habiti.* Illud vero laudi tribuendum eſt monaſteriis, qvod eruditionis

* *Regum liberalitatem multi et opulenti homines ſecuti ſunt, ut eccleſias qvoqve heredes inſtituerent, V. Turonenſ. lib. 7. cap. 7.*

nis monumento conſervarunt, et multis inſuper extruendis amplificandisqve urbibus occaſionem dederunt, ut res actaqve priſca Gallo Belgica paſſim oſtendunt, et noſtrae qvoqve gentis antiqvitates confirmant. **

XXIII. Simul et a Chriſtianis Francorum regibus coeptae ſunt decimae, qvarum primordia alii ab ultimis barbarae et non Chriſtianae Germaniae temporibus capiunt, ſpecioſoqve titulo defendunt. Inter qvos eſt Iuſtus Lipſius, vir, ſi qvisqvam alius, Romanae antiqvitatis peritiſſimus, qvi Taciti locum in hanc ſententiam adducit. Extat is in *libro de ſitu et mor. Germanorum cap. 15.* Nihil vero ibi proditum eſt de decimis, neqve ullo argumento id conficias, qvando ratio verborum poſtulat, ut longe diverſum *conferendi* genus intelligatur, mosqve colligendi decimas, ad alia tempora referatur. De cetero ſeqviorum temporum liberalitas ſicut alia multa, ita et ius exigendi decimas *Monaſteriis* conceſſit, qvorum bene multa in VVeſtphalia ſunt, qvae etiamnum hoc iure utuntur. Spectatqve huc ſanctio Friderici II. Imp. *V. Conſtitut. Sicul. lib. 1. tit. 6.* Nihil vero hic addam de immunitate tributorum benignitate Childeberti *Monaſteriis* conceſſa, *apud Turonenſem lib. 10. cap. 7.*

XXIV. Moribus ceteroqvi Francorum, qvos *Merovingos* vocant, nothorum ſucceſſio valuit, qvod documento eſt, eos perinde, ac reliqvos Germaniae populos, Romanis legibus non fuiſſe uſos. Exemplum eſt multo luculentiſſimnm in Theoderico Auſtraſiae rege, qvem Clodovaeus M. non ſuſcepit ex toro legitimo, neqve tamen id impedivit, qvo minus regnum Franciae Orientalis ei tanqvam natu maxi-

C mo

** *Etiam monaſteria qvondam cuſtodiae ſerviebant, V. Turon. l. 5. cap. 14. Annal. Fr. ad an. 752, 818.*

mo attribueretur. *Itaqve Turonensis ex Turonense explicandus, lib. 2. cap. 28. cum lib. 3. cap. 1. collat.* Illud autem postero tempore sensim mutatum est, qvum Franci disciplinis moribusqve magis exculti, non eodem deinceps loco numeroqve legitimos et *naturales* habuerunt, *Vid. Aimoinus lib. 4. cap. 1. et Eginhardus de vita Car. M. cap. 33.* Atqve ex hoc capite Hugo Capetus regni Francogalliae invasor, malaeqve fidei possessor arguitur, qvod cum is neqve virilis, neqve seqvioris sexus ratione ex legitima Carolovingorum stirpe descenderet, tum regnum nihilominus Franciae Carolo Duci Lotharingiae praeripuisset, eumqve iure agnationis fraudasset, et nulla primi acqvirentis ratione habita, indigne insolenterqve usurpasset, *V. Sigeb. Gemblacensis ad an 987. 988.*

XXV. Saepe etiam antiqvo Francorum instituto usu veniebat, qvod regnum per signum militare hastamqve tradebatur, atqve his modis dominium eius transferebatur. Proinde Guntheramnus, tradita Childeberto hasta, dixit. *Hoc est indicium, qvod tibi omne regnum meum tradidi, apud Turonensem lib. 7. cap. 33. conf. Aimoinus lib. 3. cap. 68.* Qvae fictio iuris in LL. Saliqvis identidem occurrit, et festucae signo denotatur. Hinc orta est formula, IN LAISVM IACTARE. *LL. Saliq. t. 48.* * Ad haec regna suscepturi Clypeo qvoqve altius tollebantur, qvod eo spectabat, ut novi reges hoc pacto in possessionem mitterentur, qvasiqve inaugurarentur. Hinc Turonensis, *plaudentes,* in-

* *Missio in possessionem per festucae Symbolum dicta est ADFATOMIA. Simul hoc cursim adiicio de tintinnabulis Francorum, maxime Austrasiorum, qvorum usus erat in re rustica, et finis pertinebat ad eqvos in pascuis dignoscendos, Vid. Aimoinus lib. 3. cap. 82.*

plaudentes, inqvit, *tam palmis, qvam vocibus eum clypeo evectum super se regem constituunt*, *lib. 2. cap. 40. Vid. et Aimoinus lib. 3. cap. 10.* Nulla enim tunc regum inauguratio ritu *unctionis* peragebatur, atqve hinc est, qvod apud Graeco-Romanos veteri atqve usitato more dicebatur, *βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου καθεσθείς.*

XXVI. In his cogitationibus defixo periucundam mihi memoriam renovat adoptio, cuius exemplum Turonensis nos transmisit, eximioqve et fide digno testimonio confirmavit, qvando narrat, Childebertum his verbis adoptasse Theodebertum. *Filios non habeo, te tanqvam filium habere desidero*, *lib. 3. cap. 34.* Qvam in sententiam interpretatur hanc formulam *Aimoinus lib. 3. cap. 28.* Alioqvi *per arma* fieri consvevit adoptio, praesertim inter gentes barbaras, argumento regis Herulorum hunc in modum adoptati, *apud Cassiodorum Var. lib. 4. ep. 2.*

XXVII. In extremo fert occasio, ut aliqvid de suscepto arbitri munere adiungam, qvo ita perfunctus est Theodericus, Ostrogothorum in Italia rex, ut Francos inter Gothosqve amicitia conciliaretur. Ratio compositionis haec fuit, ut legatus Clodovaei tantum pecuniae in satisfactionem acciperet, qvantum hastae a terra in altum sublatae longitudinem exaeqvaret, *apud Aimoinum lib. 1. cap. 20.* Providebat Theodericus, qvorsum evasura esset aemuli regis acerbitas, proqve rerum Gothicarum statu consilia capiebat, ac sine monitore etiam intelligebat facileqve iudicabat, haud longissime ab exitio abesse Alaricum, qvem servare qvidem cupiebat, tuendumqve suscipiebat, atqve ut iactura opum se regniqve securitatem redimeret, hortabatur. Sed

iam tum veternus regum finitimorum, ad qvos id pertinebat, animos occupaverat, fatoqve ita datum videri poterat, ut Clodovaeus toti Galliae imperaret.

